UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

Julii Pacii A Beriga I. C. Isagogicorum In Decretales. Præfatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

JULII PACII A BERIGA I. C.

ISAGOGICORUM IN DECRETALES.

PRÆFATIO.

NOn ſolum jure civili in noſtris fo- 1
ris utimur, ſed etiam jure Ponti-
ficio. §. Pontificium dicitur, quia 2
Romanum Pontificem auctorem
habet: vel Canonicum, quaſi
regulare, quia canon ſignificat conſtitutio-
nem eccleſiaſticam. diſt. 3. in pr. & ſi vocabuli
vim ſpectes, idem eſt Græcis Canon, quod La-
tinis regula. diſt. ea. can. Canon. §. Hoc jus 3
ſæpe civili prævalet, ex illius tamen funda-
mentis ſumptum, & ad ejus imitationem con-
ſcriptum eſt: nam Decretum Pandectis, De-
cretales Codici proportione reſpondent: ut
enim in Codice Imperiales, ita in Decretalibus
Pontificiæ conſtitutiones continentur: & ut
reſponſa prudentum in Digeſta, ita Patrum
placita in Decretum relata ſunt. §. Decre- 4
tales igitur epiſtolæ ſunt conſtitutiones ſum-

5 *morum Pontificum, quæ viam legibus dent. §.
Hæ diverſis temporibus conditæ, certis quibusdam voluminibus ſunt concluſæ. Decretalium igitur aliæ ſunt Gregorianæ, aliæ Bonifacianæ, aliæ Clementinæ, aliæ extravagantes.
Gregorianas voco, quæ juſſu Gregorii Pontificis
a Raymundo capellano & pœnitentiario in unum
volumen & in congruos titulos ſunt digeſtæ, &
eodemque Pontifice approbatæ. Hæ κατ' ἐξοχὴν
vocantur Decretales. Similiter Bonifacianas
appello, quæ Bonifacii Pontificis mandato per
Guilielmum Archiepiſcopum Ebrundunenſem,
Berengarium Epiſcopum Biterenenſem, & Richardum Vice-cancellarium recognitæ, & in Sextum Decretalium collatæ ſunt. Sextus dicitur: quia quinque libris Gregorianis adjicitur. Clementinas vero Clemens quintus
edidit magna ex parte in Concilio Viennensi:
Ioannes autem vigeſimus ſecundus, ejus in
Papatu ſucceſſor, in unum volumen redegit.
Extravagantes dicuntur novæ Pontificum constitutiones, quæ extra tria illa Decretalium
volumina quodammodo vagantur. Nam poſteriores auctores appellarunt extravagantes,
quas veteres nominabant Novellas, Græci νεαρὰς. Sunt autem aliæ extravagantes Ioannis vigeſimi ſecundi, aliæ, quæ vocantur
6 communes, diverſorum Pontificum. §. Quare
vero Gregorii Decretales tempore ac perfectione primum locum obtinent? nec ſunt in ſe-*

quentibus Decretalium voluminibus alii tituli, nec alio ordine collati, quam in Decretalibus Gregorianis: ſed illud tantum diſcrimen eſt, quod Gregoriana compilatio plures habet titulos, qui in aliis compoſitionibus deſiderantur: idcirco Gregorianos titulos explicare nobis ſufficiet. Ad hos igitur eadem methodo enarrandos accedo, qua juris Civilis titulos in ſuperioribus voluminibus expoſui.

LIBER I.

Decretalium libri quinque ſunt. Primus continet juris primordia, quæ Juſtinianus appellat τὰ πρῶτα? nam ea, de quibus Juſtinianus primo libro Codicis & prima Digeſtorum parte tractat, Gregorius in primum Decretalium librum retulit eodem fere ordine, niſi quod loco titulorum, qui ſunt apud Juſtinianum de officio diverſorum magiſtratuum, Gregorius varios titulos poſuit de prælatis & eorum officiis. Itaque hujus primi libri ſectiones tres ſunt. I. De Deo, & fide. II. De jure. III. De prælatis & clericis. IV. De pactis & tranſactionib. V. De poſtulantibus, & procuratoribus, & ſyndicis. VI. De reſtitutionibus in integrum. VII. De arbitris compromiſſariis. Hæc ſunt, quæ Juſtinianus τὰ πρῶτα vocat, & eodem ordine